

CONCLVSIONES
THEOLOGICÆ,

De

MYSTERIO
INCARNATIONIS

QVAS

AUTHORITATE ET
CONSENSU REVERENDIS-
SIM ORUM, ADMODUM REVE-
RENDORUM, MAGNIFICORUM, NOBILIJM
& Clarissimorum Dominorum, Spectabilis Domini
Decani, cæterorumq; Dominorum Doctorum
Inclytæ Facultatis Theologicæ

In Antiquissima, nec non Celeberrima

VNIVERSITATE VIENNENSI

Pro primâ Theologiæ Laureâ consequenda
discutiendas proponit 28 Iulij, Anni M. DC. LI.

Reverendus ac Nobilis Dominus

GERVASIUS MOSER,
AA. & Philosophiæ Magister.

PRÆSIDE

REVERENDO PATRE

JOANNE BERTHOLDO
è Societate IESV, SS. Theol: Doctore
ejusdemq; Professore ordinario.

*Vienna Austriae, Typis Matthæi Cosmerovij, S. C. M. Typog.
in Aulâ Coloniensi.*



FERDINANDO
QUARTO
AUSTRIACO
FERDINANDI III.
MAGNI CÆSARIS,
MAGNO FILIO,
HUNGARIÆ, & BOHEMIÆ
R E G I
FELICITATEM.

REGIAS pulsat fores Regina Scientiarum Theologia; Serenissime Rex FERDINANDE. Majestatis illa plena est, Et Humanitatis; vultum Tuum exposit Majestate venerabilem, Humanitate amabilem. Non regnandi cupiditate incensa venit, sed serviendi studio inflammata; quamquam servire Regibus, est regnare. Hanc si Majestatis Tuæ dignaberis oculo, intueberis in illa Deum Humanitate vestitum; si Benignitatis asperges intuitu, hominem Divinitate agnosces gloriosum. Mirabilis illa prorsus est, quia Mysterium continet admirabile, ad quod ipsi etiam purissimi Angelorum cœtus obstupescunt, horrore profunduntur mortales, inferi contremiscunt. Artificiosa est, quia non in nuce Iliadem, sed in carne Deum includit: non ala muscæ quadrigas contegit, sed eum, qui super pennas ventorum ambulat, cœlum Et terram suâ immensitate replens, exigua corporis nostri nubeculâ, fragilibus, ac propè nullis artubus involvit: non in gemma Gratiarum triadem, sed in MARIA omnis gratiæ claudit fontem: non cōarctat ostijs mare, sed inexhaustum illud æternæ Sapientiæ pelagus parvo Virginis utero circumscribit. Florida est, quia Florem Campi, Et lilium præfert

conval-

convallium. Fructuosa est, quia ventris Virginei Fructum re-
präsentat. Admitte igitur FERDINANDE Rex tot decoratam ti-
tulis, tot cūmulatam dotibus, tot plenam mysterijs, tot insignem orna-
mentis Scientiarum Reginam omnium Theologiam ad Te ve-
nientem; universali utor nomine, sicut non proponam universam: to-
tum pro parte sumo, sed ea non postrema; imo, si Mysterij spectetur
magnitudo, generisq; humani utilitas, principali. Digna proinde est
Tuæ Humanitatis aspectu; digna Regiæ Serenitatis lumine; digna
Austriacis Aquilis, quæ instar Aquilæ nubes volatu prætergressa,
Aquilino oculo Patrem lumen, Iustitiæ Solem perpetuo
contemplatur. imo lucem ipsam in se continet, quæ cū comprehendi
non posset, lux ipsa mortalitatem subiit tenebrarum, & per si
militudinē carnis peccati, participationem dedit luminis veri.
Patere ergo Magne Rex FERDINANDE, me Tuis sub Auspicijs
in arenā descendere: si vicero, Tibi vincam; si, quam consector, lau-
ream reportavero, Tuis semper intenta nutibus, Tuis dicata obse-
quijs virebit, & perennabit. Ut Theologicas has de Verbi Incar-
natione Conclusiones sub Serenissimo Tuō nomine disputationi
proponerem, Regia me quidem diu detinebat Majestas, ut tamen
facerem, animos dedit, nota cunctis, Austriaca Humanitas. Dei
simulachrum sunt Reges, qui à sua minimè recedunt Majestate,
dum minima etiam clientum obsequia, innata sibi recipiunt Huma-
nitate. Homo ad DEVVM accessit, DEVVS à se non re-
cessit, nec hominem consumpsit, sed ita assumpsit, ut nec inferiorem
naturam consumeret glorificatio, nec superiorem minueret as-
sumptio. Tu Serenissime Rex, dum de Verbi aeterni Incarna-
tione disceptanti Tua mihi præstas Auspicia, & Regiam servas
Majestatem, & Austriacam, quam à Maioribus Tuis accepisti,
confirmas Humanitatem. Vive proinde, vive FERDINANDE,
Magnorum Parentum Magne Fili, Vive inter tot dignitatis
Tuæ mysteria, felicitatis meæ præfigia, victoria auguria; & dum
ipse fortiter stas Pro DEO & Populo, me in Theologico Ago-
nestantem pro DEO Homine, umbone Regiæ protege Majesta-
tis, gratiâ Austriacæ complectere Humanitatis; tali namq; sub
protectione, etiam ante pugnam, certam canere possum victoram,
& triumphum. Vale Rex.

MAIESTATIS TUÆ

Cliens aeternum de votus

Gervasius Moser.



CONCLUSIONES THEOLOGICÆ

D E

Incarnationis Mysterio.

I.



E R B I Divini Incarnatio, mirabilem Dei opus ineffabile, Apostolo est *mysterium absconditum à saeculis & generationibus:* &, *Sapientia in mysterio, quæ abscondita est;* quare eius possibilitatem, nulla ratio creata, si-
ve Angelica, sive humana evidentè asse-
qui, aut probare potuit: Si enim coniun-
ctio, naturæ humanæ & Divinæ, in unam,

Verbi personam, *ratione ostendi posset, non esset mysterium mirabile, si exemplo, non esset singulare;* potuisset tamen intellectus Angelicus dubitando, de eius possibilitate suspicari, & de facto, suppositâ fide, per varias congruentias potest intellectus humanus verosimili-
tér in illius possibilitatis cognitionem naturaliter venire; Infinita quippè inter Verbum, & naturam humanam distantia, non tollit proportionem unibilis & uniti, neque intrinsecè Verbum immuta-
tur per unionem, dum intrinsecè unitur, ac aliter se habet ac antea, non tanquam subiectum unionis, sed tanquam terminus; & quia Verbum non mutatur intrinsecè per unionem, non etiam transit de uno esse, ad aliud esse, siquidem hoc est proprium subiecti, & entis in potentia, tendentis per mutationem ad ulteriorem perfe-
ctionem. Porrò Verbum potius, quam Patrem, aut Spiritum san-
ctum incarnari; & naturam humanam præ Angelica assumi, fuit opus Deo, naturæ humanæ, universo convenientissimum.

Coloss. 1.
1. ad Co-
rinth. 2.

Coneil.
Toletan. 2.

I. I.

Summa Incarnationis convenientia, nullam in Deo peperit necessitatem, quæ vel physicè, vel etiam moraliter illum in illius amorem, & electionem efficaciter impelleret; potuit enim Deus alijs medijs liberare humanum genus à debito culpæ, & ad Iustitiam perducere, quam per opus Incarnationis: otiosè quippe SS. Patres petijssent à Deo Incarnationem, & nos exaltationem nominis Christi, & gloriam peteremus; quam aliundè non fieri est moraliter impossibile: & quamvis defacto, quod optimum est, Deum facere facile concedamus; nullum tamen dari potest bonum creatum adeò excellens, quod Deum antecedenter ad liberum eius decretum ad sui prosecutionem ullo modo, etiam moraliter necessitare possit; Deus enim nihil omnino boni, aut mali accipit ex creaturarum bonitate, aut malitia; qui æquè sibi beatus est, nobis benè, vel male operantibus, creaturis existentibus, vel non existentibus, ut egregiè docet S. Augustinus, dum inquit, *Vbi nulla est indigentia, nulla est necessitas, ubi nullus defectus, nulla indigentia, nullus autem defectus in Deo, nulla ergo indigentia.* Adde etiam, quod si Deus necessitate morali optimum eligeret, non minus liber foret, ac modo est, cùm nec nostra libertas in hoc consistat, quod bonum, & malum morale, possit eligere, nec in Christo libertas ideò minuatur, quod tantum sit libera in exercitio bonorum, actuum; Deus ergo non posset eligere minus bonum moraliter, sicuti neque peccatum physicè, & tamen adhuc haberet perfectissimam libertatem in ratione libertatis, quæ consistit in dominio sui actus, quamvis non in ratione indifferentiæ transcendentaliter acceptæ; Cæterum sicuti undequaque est summè perfectus, ita liberrimè minus bonum, præ maiori eligere, ac ad extra producere potest, sine ulla interim actuum Divinorum, etiam per rationem nostram, intrinseca inæqualitate: quantumvis enim possint extrinsecè esse inæquales, quatenus unus actus respicit obiectum nobilior, quam alter. v. g. Angelum unus, alter muscam; & consequenter videatur prior actus, per respectum nobiliorem, constitui intrinsecè & formaliter nobilior, quam actus posterior; quia tamen omnis actus divinus intrinsecè & formaliter dicit esse ens divinum. secundo, secum identificari omnes perfectiones identificari possibles, & consequenter omnia attributa divina; hoc posito, licet respectus ad obiectum nobilior, sit secundum se, & specificè spectatus nobilior, quam respectus alterius actus, ad obiectum minus nobile, quia tamen respectus uterque contrahitur per differentiam formaliter omnino æqualem, eamque infinitam, nempe esse Divini, & à se, consequenter non potest unus continere maiorem perfectionem, quam alter, cùm uterque dicat formaliter se continere, & secum identificari omnem perfectionem identificari possibilem: hoc pacto dicitur unus actus Dei, tam perfectus, quam alter intensivè, ad modum, quo unus actus Christi est tam perfec-

Lib. 83. qq.
quæst. 22.

ctus,

ctus, & tanti valoris, quām omnes alij intensivē, & persona Patris, quām omnes tres Personæ Divinæ.

I I I.

Nihilominus necessitatem Incarnationis peccati lethalis gravitas invexit; non simpliciter, nam ut inquit S. Augustinus, *Sunt stulti qui dicunt, non poterat aliter Sapientia Dei hominem liberare, nisi susciperet hominem, sed ex suppositione condignæ satisfactionis, quam pro mortali Theologico nulla pura creatura, quantumvis sanctitate, ac charitate Dei prædita exhibere potuit: si enim, pura creatura condignam pro mortali exhibere Deo posset satisfactionem, inaniter profectò SS. Patres contra Nestorianos, & Arrianos hæreticos depugnassent!* Hæretici enim benè asserebant Christum pro peccatis, totius mundi condignè satisfecisse, sed pariter malè asserebant Christum purum hominem, quamvis eximiā sanctitate, & gratiæ donis ornatum, fuisse: ex quo Patres contra hæreticos urgebant, quod à pura creatura condignum pretium non potuerit persolvi, nam inquietabat, quod si non esset Deus, non afferret medium, & quia natura lapsa non potuit aliter reparari, necessario *D E V S homo factus est.* Sanctus certè Augustinus disertè asserit, *neg per ipsum liberaremur mediatorem hominem Christum, nisi esset D E V S.* quia, ut inquit Basilius super Psal. 28. *nullus aliis poterat condignum afferre pretium.* Idem asserunt passim alij Patres; sed si pura creatura quantumvis sanctissima, qualem hæretici Christum confitebantur, possibilis esset, quæ per suam satisfactionem condignum posset afferre pretium, futilis omnino fuisse SS. Patrum probatio Divinitatis in Christo ex eo, quod condignum pretium pro redemptione nostra obtulerit, & ideo Deus esse debuerit. Non tamen video, si in sola ratione sistatur, quomodo efficaciter probari possit.

I V.

Cæterū licet peccatum non sit malitiæ simplicitè infinitæ, quia datur unum peccatum majus altero, nec unum continet malitiæ aliorum, etiam intensivē; ut continet una Christi satisfactione, omnium aliarum satisfactionum Christi valorem; nihilominus ex unanimi consensu Patrum, & Conciliorum, & Scripturæ testimonio deducimus, puram creaturam non posse condignam Deo pro mortali peccato Theologico satisfactionem offerre; quia quodvis peccatum mortale meretur pœnam æternam; qui enim dicit non ex ipso peccato, sed decreto & voluntate Dei taxari pœnam æternam peccatis, non satis dignè sentit de bonitate Dei, qui *citra condignum punit, & ultra condignum præmiat:* è contra nulla satisfactione, puræ creaturæ justæ, quantumvis perfectissima, extinguit nisi pœnam temporalem, ut ex Tridentino constat. ergo Quantumcunque multiplicentur satisfactiones, quæ solum finitum operantur, nunquam finitum finito addendo æquabunt infinitum, & multiplicata extinctione pœnae finitæ, extinguent

13.de Trin.
cap.3.& 13

Leo Papa.
serm. 14.
& 10.
Cyrill 9.
Thesau. c.7
In Enchiridio. c. 108.
Athanasius.
Cyrill. Alex. Ri-
chardus de
S. Victore
Vigilius,
Damasce-
nus, Am-
brosius, Hi-
larius, Ful-
gentius.

S. Augstini.
lib. 21. de
Civit. Dei.
cap. 24.
Sess. 6. c. 14

Conclusiones Theologicæ

infinitam. Ex quo etiam capite benè à posteriori colligimus mortale peccatum esse in tali ordine, ut nulla pura creatura possit condignè satisfacere: & consequentè sequitur venialia nunquam æquare in malitia mortale, quia cùm veniale mereatur solum pœnam temporalem, quantum cunque multiplicentur venialia, nunquam merebuntur pœnam æternam. Nec dicas actum supernaturalem charitatis ab homine justo elicitum mereri vitam æternam, ergo poterit mereri deletionem pœnæ æternæ; Nam primò, actus bonus non meretur vitam æternam reduplicativè, sed specificativè, quia non alio modo meretur vitam æternam, quam gratiam sanctificantem, quæ est semen gloriæ; & hoc modo dicendi perpetuitas, non est proprietas visionis beatæ, sed provenit ex decreto Dei; & quia aliundè Beati sunt filii adoptivi, quamdiù non agunt contra Patrem, debetur illis habitatio in domo paterna, & hæreditas. Secundò, ad satisfaciendum plus requiritur, quam ad merendum, qui enim satisfacit, habet contrarium, scilicet culpam, & Deum placandum, quæ satisfactio respicit: meritum autem sine ullo contrario, solum respicit præmiantem. Quare licet vi alterius providentiæ non repugnet unum iustum, alteri justo, de condigno gratiam sanctificantem mereri; sicuti potest sibi augmentum mereri; attamen nullus alteri in peccato mortali existenti, eam de condigno promereri posset, quia non posset promereri peccati mortalis deletionem.

V.

Sess. 14.
cap. 5.
Alitèr ratiocinandum est de peccato veniali, alioquæ peccato gravi sine advertentia ad Deum, si daretur, commisso. Quare pro peccato Philosophico graviter adversante rationi, pura creatura posset satisfacere: pro peccato quippe Theologico, quod continet quandam infinitatem secundum quid, & meretur pœnam æternam, ex eo præcipue non potest pura creatura satisfacere, quia est offensa ac contemptus gravis & formalis Divinæ Majestatis, sed ubi non est notitia Dei, non potest esse formalis Dei contemptus, aut offensa, cùm nemo jure offendatur ab eo, qui ignorantè deliquit; nec ab objecto malitia refundatur in actum, nisi in quantum cognoscitur difforme rationi. Pro peccato veniali homo justus non solum condignè satisfacere potest, sed etiam defacto aliquando satisfacit. Colligitur ex Tridentino docente, *venialia citra culpam in confessione taceri posse*, quia nimirum multis alijs remedys expiari possunt, scilicet extra confessionem, sed in Sacramento ex opere operato defacto sàpè extinguuntur de condigno, quidni ergo etiam ex opere operantis extra Sacramentum de condigno expiari possint? Nec video, si homo possit pro pœna temporali per opus valdè heroicum, condignè satisfacere, cur non possit pro culpa veniali satisfacere, commensuratâ pœnæ temporali. Cùm enim peccatum habituale in hoc consistat, quòd sit actuale moraliter perseverans, hoc est, quod nec sit condonatum, aut pro quo non sit condignè satisfactum, si condigna ponatur satisfactio ad condignè placan-

de Incarnationis Mysterio.

5

placandum offensum, si offensus non placetur, in estimatione prudenter, non rationabiliter, sed irrationabiliter manet aversus.

V I.

Hinc est, quod satisfactio habeat se per modum solutionis, quæ ab offensore præstari debet, nec potest illa, pro culpa, oblata, ab offenso repudiari; Potest tamen offensus repudiare solutionem, seu satisfactionem pro poena, quia scilicet eam taxare, & imponere spectat ad Judicem, non ad reum, qui eam pati debet, quæ à Iudice imponitur: Nihilominus probabile mihi videtur, quod in inferno, ubi quidem locus non est satisfaciendi, possit damnatus satispati pro poena temporali, veniali, aut etiam debitâ mortali, in hac vita quoad culpam, non quoad poenam temporalem deleto, nec per accidens in æternum punietur. Licet enim ibi non sit locus gratiae, nec poena, quam quis meritus est, ex misericordia mitigetur; quia tamen debitorem esse poenæ, nihil aliud dicit, quam debitum esse contractum per peccatum, nec esse dimissum, aut solutum, cum autem satispassio solùm respiciat poenam, quæ à Iudice reo infligitur, certè quando Iudex tantam poenam inflxit ex Iustitia, quantum reus ex debito contracto debebat sustinere, totum debitum solvet, si hanc sustineat: Nec refert damnatos in mortali esse, pravumque affectum & approbationem peccatorum habere; nam sunt in termino, ubi nec mereri, nec demereri possunt, alioquin non per accidens, sed per se puniretur poenâ æternâ ex veniali proveniente; quare etiam non retractâ culpâ, satispassione poenam temporalem extingui censendum est.

V I I.

Derivabatur valor in opera, ac satisfactiones Christi, ab infinitate Personæ operantis dignitate. Et quamvis suppositorum sint operationes denominative, quia modus operandi, sequitur modum essendi, quatenus natura ut operetur, debet esse perfectè constituta; operum tamen ipsorum principium elicivum fuit humanitas Christi, quæ sanctificabatur, ac Deificabatur sanctitate. Increata substantiali intrinsecè & physicè: Sed an ab ipsa Personalitate Verbi, an ab ipsa natura Divina sanctificetur? controversum est, nobis placet à personalitate formaliter & immediate, mediately tantum, & in concreto à natura Divina sanctificari. Quâ enim ratione à natura immediatè sanctificari posset natura humana Christi, quæ non immediatè naturæ, sed personalitati Verbi unitur? id enim, quod tantum mediately unitur, non potest dare effectum suum formalem immediatè; Sic, esto Angelus assumeret naturam, humanam sanctam, sanctitas naturæ humanæ, non sanctificaret naturam Angeli, quia solùm mediately uniretur; Nec refert, quod hoc casu tantum mediately realiter uniatur gratia, nam naturam Divinam uniri humanitati mediately virtualiter, perinde est, ac uniri mediately realiter; Virtualis enim intrinseca distinctio, quæ inter aliqua præ-

Conclusiones Theologicæ

dicata Divina admitti debet, æquivalenter est realis, & præstat idem in ordine ad salvanda prædicata contradictionis, produci, & non produci, uniri, & non uniri, quod realis distinctionis: sicuti enim Deus eminenter, & æquivalenter est lapis, ita eminenter & æquivalenter continet in aliquibus prædicatis realē distinctionem, ut perinde in ordine ad salvanda prædicata contradictionis indepen-ter à nostris conceptibus se habeat, ac si realiter illa prædicata Divina essent distincta; hinc illa distinctionis benè vocatur æquivalenter realis, quæ oritur ex eminentissima perfectione Divina. Et verò si concedatur, quod natura Divina sanctificet humanitatem Christi, sive mediata tantum, sive immediata uniatur, quidni concedetur pariter, quod tota Sanctissima Trinitas sanctificet eandem humanitatem, cùm effectus naturæ Divinæ sint indivisi? Et ulterius, si me- diata unio sufficit ad præstandum effectum sanctificationis, eadem sufficiet, ut eadem natura Divina dicatur Incarnata, & consequen-ter tota Trinitas, quod repugnat fidei; Ab unione tamen humanitas sanctificabatur ut *Quo* tantum, seu ut à via, non ut *quod*, & ut à forma, sicuti neque ab unione gratiæ, homo justus, sanctificatur, ut *quod*, aut unio albedinis, ut *quod*, albificat.

V I I I.

Porrò quantumvis Verbum non omnes perfectiones, quas i- psūm habet, naturæ humanæ communicārit, in genere tamen sanctitatis participatæ, omnem tribui possibilem, communi- cavit, quia non potest major sanctitas communicari, nisi extensivè, quantumvis tota Sanctissima Trinitas eandem naturam assumeret; Interim infinitè simpliciter physicè natura humana sancta non fuit, quia major est sanctitas Verbi, quam humanitatis, Verbum enim est infinitè sanctum per se, & essentialiter, humanitas tantum me- diante Vnione; & ob eandem rationem inæqualiter amatur à Deo Personalitas Verbi, & humanitas sanctificata, nec tamen perfectè hæc subsistit, quam natura Divina, scilicet in se, & per identitatem. Na- scitur verò valoris infinitas in operibus Christi, quod opus cùm sit honestum, & supernaturale, est pariter à Persona infinitè digna: quod enim persona est dignior, eò opus, à tali persona, exhibitum, in æstimatione morali censetur dignius, & majoris valoris. Ex quo capite nascitur, quod gratia habitualis magis intensa, non magis au- geat operum nostrorum valorem, quia scilicet quantumvis præstet hominem magis justum, sanctum, gratum, non tamen majoris di- gnitatis, siquidem major gratia, non elevat hominem ad dignior- rem statum, quam gratia minor, utraque enim indivisibiliter ad sta- tum supernaturale, & filiationis adoptivæ elevat. Ex quo sequi- tur universaliter falsum esse, quod sicuti se habet simpliciter, ad simpliciter, ita magis ad magis; alioquin necessariò, quia intelle- ctus requiritur cum lumine gloriæ ad videndum Deum, perfectior intellectus, cum eodem lumine, perfectiore eliceret visionem: sicque optimè salvatur, quomodo Deus sine acceptione personarum, iudi-

de Incarnationis Mysterio.

7

cat secundum uniuscuiusq; opus. & quòd peccata æqualia, æqualiter in purgatorio, in homine justo & minus justo, puniantur, quæ sicuti per majorem gratiam, non decrescent quoad culpam, ita neque quoad pœnam; & aliundè incongruum videtur, quòd homo minus justus, per actum ferventissimum, minus mereatur, quam magis justus, per actum remissum, & negligentem. Quòd verò major gloria sanctiori respondeat, id provenit titulo meritorum majorum, propter quæ, major gratia data est, non ut magis personam, dignificet, sed tanquam arrha & pignus majoris præmij dandi, intuitu majorum meritorum.

I X.

Quare valor operum Christi mensuratus à proportione, & adæquatione Personæ, quoad sufficientiam, non defacto quoad efficaciam, ad omne præmium excogitabile, & possibile se extendit, cùm enim Persona præmianda sit dignitatis infinitæ, & filius Dei naturalis, nullum præmium excogitabile erit nimis magnum, aut in ratione præmij adæquabit opus valoris infiniti: Sicuti verò gratia habitualis dignificat opera tantum supernaturalia, non naturalia, ita, si Christus aliquos actus morales honestos naturales tantum eliciisset, Verbum probabiliter illos non dignificasset ad præmium supernaturale, sed naturale tantum. Quantumvis verò Deus, tamen in demerito, quam merito intrinsecè se habeat, ut forma moralis, quoad dignitatem meriti, & demeriti; diversa tamen ratione; Nam persona offensa, non est ultima ratio determinans gravitatem peccati, sed ultima ratio determinans est, primò, magis vel minus de objecto formata cognitio, secundò, materiae gravitas, vel levitas, prout gravitè, vel levitè adversatur naturæ rationali, ut rationalis est; at verò Persona Christi operans, est ultima ratio determinans, quæ ita opera Christi omnia dignificat, ut à nullo limitetur; Hinc omnia opera, ab eadem Persona Christi, sunt valoris simplicitè infiniti, non verò peccata, circa eandem Personam versantia, sunt valoris & demeriti simplicitè infiniti, cùm per veniale & mortale eadem Persona Divina offendatur, & inter mortalia, sit unum gravius altero. Hinc opera Christi fuerunt simplicitè infinitè satisfactoria, si Davidi credimus afferenti, quod est copiosa apud eum redemptio. Et Clementi VI. dicenti, *Vnicam guttam sanguinis effusum sufficere pro redemptione totius humani generis, ut tamen in actu secundo satisfacerent, liberalem Dei acceptationem intervenire necesse fuit.*

Psal. 120.
In Extra-
uag. Vnig.
de pœnit.
& remiss.

X.

In omni peccato Theologico, non solum vera realis, sed etiam personalis injuria reperitur; quatenus Deus perfectissimum habet dominium in omnes creature ratione præditas, consequenter in omnes potentias, & actiones nostras; quarum perfectus est Dominus: quidni ergo injuriam realem inferat homo Deo, si utatur

se, suisque potentijs, non consentiente Domino, ad usum illicitum? non secūs, ac injuriam inferret Petrus, Paulo, si ille equo tantū ad equitandum concessō, uteretur ad currum, contra expressum patrum; hinc peccata nostra, in Scriptura passim, injustitiæ, & iniqüitates vocantur; similitèr injuriam personalem infert subditus Regi, & creatura Deo, quæ in præsentia ejus, sciens & volens, justissimas ejus leges, contra jus clarum transgreditur, & in ejus præsentia, illius contemnit autoritatem, dum nec suum debitum, nec Dei jus agnoscit. Nihilominus, quia Deus bona nostra, & operaciones, ac etiam detestationem peccatorum, non imperat, aut exigit titulodominij, & proprietatis, sed jurisdictionis; dum detestamur peccata, exercemus quidem Iustitiæ actus, non quia detestatio titulo dominij exigitur, sed quia jus læsum resarcire tenemur, ortâ Iustitiæ obligatione ex parte nostri; non tamen necesse est statim, ac peccatum est commissum, detestationem ex Iustitia ponere; Iustitia enim, non semper ex præcepto negativo ad restitutionem obligat, sed quando, per actionem iniuriosam damnum permanens est illatum, ut alter minus in bonis suis habeat; Quod si injuria sit illata, non damnum permanens inferendo, ex præcepto negativo non retinendi alienum, non tenemur Iustitiæ satisfacere, sed ex præcepto affirmativo, tenemur satisfacere pro injuria; quomodo, si quis unus est equo alterius, contra voluntatem expressam, sed interim sine ullo damno, si reddat equum, non tenetur ad ulteriorem restitutionem, sed pro injuria ad satisfactionem, ex præcepto affirmativo, obligatur.

X. I.

Interim tamen Christus in persona nostra satisfecit Deo, non solum ex fidelitate, sed etiam ita ad æqualitatem, ut omnes Iustitiæ numeros, ac conditiones expleverit, de quo proinde Apostolus inquit, quem proposuit Deus, ad ostensionem Iustitiæ sua, per quem empti sumus pretio magno. Et Patres ajunt, exactum debitum ad Iustitiæ amissum ex equatum fuisse in Christi Domini satisfactione. & S. Basilius: per Christum omnem Iustitiæ rationem fuisse expletam. Sed an sicuti nos Deo ex Iustitia obligari possumus, ita etiam nobis possit, non tantum res suas, sed ipse Deus seipsum ex Iustitia obligare, controversum est. Nobis placet sentire cum parte affirmante. Sic loquimur conformius Scripturis, quæ vitam æternam, ut coronam, ut stipendum, ut mercedem justis debitam asserunt. Apostolus certè coronam exposcit inquiens, In reliquo reposita est mihi corona Iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus Iudex. & rursus. Non enim iniustus est Deus, ut obliviscatur operis vestri, & dilectionis. Patres etiam eandem veritatem agnoverunt. S. Augustinus contra Julianum, Deus ipse, inquit, quod absit, erit injustus, si ad eius regnum verus non admittatur justus. & rursus. Non est, inquit, iniustus Deus, ut justos fraudet mercede sua. S. Fulgentius consentit inquiens, in sua largitate dignatus est se facere debitorem. & Bernardus, promissum ex misericordia, sed ex Iustitia persolvendum. Patribus correspondent Concilia, Arausicanum,

secundum & Trident. quæ asserunt bonis operibus gloriam tanquam *mercedem* & *coronam* deberi. Nec congruè hæc de fidelitate explicari possunt, nam cum ijs, quæ Deus solum ex fidelitate præstata promisit, optimè adhuc stat gratia, & misericordia; ita Incarnationis opus à Deo promissum, nihilominus est opus misericordiæ, & gratiæ: Et quamvis Deus promiserit, se peccatoribus pœnitentibus remissurum peccata, quando ea condonat, gratiam præstat; at verò gloriam nostris operibus esse debitam non ex gratia, sed ex Iustitia, Scripturæ, Patres, & Concilia asserunt; Nam Paulus, inquit, qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum.

Ad Rom 4.

X I I.

Nec majus est inconveniens, Deum nobis obligari ex Iustitia ut filijs, quam ex fidelitate; neque enim hæc obligatio inchoatur à creatura, sed oritur à libera Dei voluntate, & pacto; Quare S. Augustinus inquit, *Debitorem ipse se fecit, non accipiendo, sed promittendo*, & alibi: *Debitor nobis factus est Deus, non aliquid accipiendo, sed quod ei placuit, promittendo.* Quare etiam, dum creaturæ communicat dominium particulare, servato sibi perfectissimo dominio, & independenti, non majus est inconveniens hoc dominium ex pacto liberè à DEO suscepito coarctari, & subordinari creaturæ, quam virtute particulari operandi communicatâ creaturæ, ex decreto DEI liberè suscepito, coarctari & subordinari omnipotentiam & libertatem Dei creaturæ, in quibus nulla apparet diminutio libertatis aut omnipotentiae. Neque ratio perfecti dominij exigit, ut Dominus possit liberè uti re suâ sine injuria alterius in omnibus circumstantijs; Nam primò falsum est, si maneat dominium penes duos, in instanti translationis. Secundò, si Catus debeat hodiè centum Titio, post mensem primò persolvendos, si hodiè expendat, advertendo, quòd se reddat impotentem ad solvendum post mensem, dum hodiè liberè disponit de re sua, injuriam facit Titio.

X I I I.

Christus caput est, & Author omnium Prædestinatorum, tam Angelorum, quam hominum; dependenter à cuius meritis, tam primi parentes, quam Angeli, primam gloriam justificationis acceperunt; nam *de ejus plenitudine accepimus omnes.* Estque sententia S. Cyrilli Alexandrini, dum inquit: *Per ipsum enim omnis sanctificatio spiritualis, tum in sanctis Angelis, tum in nobis ipsis insita est:* Cui consonat S. Gregorius Magnus, Rupertus Abbas, ubi docet Christum esse Regem, & caput electorum Angelorum atque hominum; Item tam homines, quam Angelos conditos esse propter gloriam & exaltationem Christi, quoniam in ipso condita sunt universa, & omnia per ipsum, & in ipso creata sunt, & ipse est ante omnes. Ex quo deduco venturum fuisse Verbum in carne, etiam si Adam non peccasset; præterquam enim, quòd non poterant Angeli, aut primi

Super Ps.
83.
Serm. 16.
de Verbis
Apostoli.

Ioann. 1.
Lib. 5. in
Itai. super
verb. lauda
sterilis, &c.
cap. 54.
In 1. lib.
Reg. e. 2.
Lib. ult. de
gloria &
honore fi-
lij homin.
Ad Coloff.
1.

parentes justificari per Christum , nisi hic esset prædestinatus ante Angelos , & primos parentes , & consequenter ante horum peccatum ; finis certè adæquatus Incarnationis , minimè fuit redemptio nostra , ut ipsemet Christus sæpiùs insinuat ; quare venit non tantum ut Reparator , sed etiam ut Pastor , ut Dux , ut Legislator , ut Iustificator ; qui fines fuissent , esto Adam non peccasset : Vnde Trident: merito docet Christum non solùm esse causam meritoriam , sed gloriam Christi etiam esse causam finalem nostræ justificationis , ubi Concilium pari modo docet gloriam Christi & vitam aeternam esse causam finalem nostræ justificationis , sicuti docet gloriam Dei esse causam finalem nostræ justificationis . Quis ergo neget gloriam Christi ante Adami peccatum esse intentam , sicuti fuit intenta gloria Dei ? Eandem veritatem nobis Divinæ paginæ ostendunt , dum Christus dicitur Primogenitus omnis creaturae , quod de Christo ut homine intelligit Ephesinum , Athanasius , Cyrillus ; cui consonat illud Proverb. 8. Dominus possebit me . Septuaginta vertunt , creavit me initio viarum suarum . quod Patres communiter contra Arrianos intelligunt de Incarnata Sapientia . Hæc loca intelligi non possunt , quod sit ante omnes creatureas in tempore creatus ad extra , ergo debent intelligi de præordinatione ad intra .

X I V.

Nec Scripturæ , & Patres negantes Christum venturum fuisse , si Adam non peccasset , nobis officiunt . Venit quidem filius hominis querere , & salvum facere , quod perierat , sed fine inadæquato , & ut Redemptor . Non ergo negant Scripturæ , & Patres substantiam Incarnationis , sed modum , & circumstantias adventus , quatenus non venisset in carne passibili , & ut Redemptor ; id enim negabant , quod quærebatur , & quia gratitudinem , compunctionem , horrorem peccati , & affectum erga Passionem excitare intendebant , negabant Christum passurum fuisse , aut Verbum assumptum carnem passibilem , si peccatum non esset . Et verò , quis dicet , quod , quando Patres aliqui negant Christum venturum fuisse , si Adam non peccasset , intelligendos esse absolvè , quantumvis fuisse alia personalia peccata , sine originali ? Quare sèpè contingit negari modum tantum , esto videatur substantia negari ; sic quando Christus dixit discipulis : Non ascendam ad diem festum illum . non substantiam ascensū negavit , sed modum ; & quando Marci 13. negavit , filium hominis scire de die , & hora extremi judicij , non substantiam scientiæ , sed modum negavit . Et Patres , & Concilia , Millevitanum & Arausicanum , quando contra Pelagianos asserebant , homines nihil boni posse viribus naturæ , intelligendi sunt juxta materiam substratam , scilicet ut oportet , & ad salutem , non verò simpliciter , & per ordinem ad aliquos aëtus , naturaliter tantum bonos .

Ioann. 7.

Marci 13.

Millevit.
Arausian.

X V.

Porrò inter decreta Divina, statuendus est ordo intentionis, & executionis, quamvis illum non necessarium, sed Deo liberum: poterat enim Deus immediatè omnia exequi pro suo libitu: & communiter hunc ordinem concedunt ij, qui afferunt nobis esse decretam gloriam, ante prævisa absolute merita. Porrò decretum intentionis, tale non est, quod non sit simul executionis rei quoad substantiam, sed intentionis vocatur, ut contradistinguitur à decreto executionis; quod præter substantiam, involvit circumstantias: Deus ergo decrevit Christum absolute in carne quoad substantiam, præscindendo, an in carne passibili, vel impassibili, an ab hac, vel illâ Matre, hac vel illâ actione; nec ullus in hoc modo prædestinandi defectus ex parte Dei intervenit; quia esto Deus, sicuti omnia in instanti æternitatis cognovit, sic etiam voluerit, aut noluerit; Theologi tamen instantia rationis constituunt, ut de Divinis mysterijs loqui possint; Nec Deus erit magis suspensus, quando prædestinat Christum quoad substantiam, non determinando, an in carne passibili, vel impassibili, hac vel illâ Matre, quam quando præcepit in antiquâ lege offerri par turorum, aut duos pullos columbarum; aut in novâ, dum vult audiri Sacrum, ab hoc, vel illo Sacerdote; quia scilicet in illo signo rationis, liberrimè à nobis intelligi potest, fecisse decretum intentionis, quo substantiam decrevit; quamvis noluerit decernere, in eodem signo, circumstantias, quas tamen, si voluisset, potuisset unico decreto decernere, sicuti perfectissimè cognoscebat omnes.

X V I.

Christus ergo hoc pacto quoad substantiam decretus, præscindendo, an in carne passibili, vel impassibili, hac vel illâ Matre, sicuti habuit omnia principia operandi, ita visus est in carne absolute bene operari: nam licet aliqua opera dependent à carne passibili, v. g. quæ involvebant Passionem: alia tamen erant opera, quæ nullo modo determinatè dependebant à carne passibili, aut etiam impassibili, sed eadem numero habere potuisset, sive in carne passibili, sive impassibili venisset, v. g. actus charitatis, & alios actus, quibus sua merita offerebat; maximè cum caro passibilis, vel impassibilis, non differant substantialiter, sed accidentaliter. Minus opera Christi dependebant, aut significabantur à Matre; nam idem numero Christus, & eadem numero humanitas fuisse, sive producta fuisse à solo Deo, sive ab aliâ Matre; Unde licet hæc Mater, in executione, physicè genuerit Christum, non fuit tamen principium per se, & essentialiter requisitum, ut Christus produceretur: ex quo sequitur, operationes Christi, nullo modo dependisse ab hac Matre; sed à sola humanitate Christi, à qua sanctificata, & subsistente in Verbo, significabantur, non verò à Matre.

X VII.

X V I I.

Christus pariter, quæ homo, ratione unionis hypostaticæ, constitutus est Ecclesiæ caput, mediator Deum inter, & homines, & Sacerdos summus, qui & satisfecit solvendo premium Redemptionis, & tanquam Minister publicus, Sacrificium pro populo offerendo, intercessit: Dæmonum, ac damnatorum Dominus magis, ac Iudex dici potest, quæ caput, quia non influit, tanquam in membra per gratias, nec voluntariè se subiiciunt. Ceterum Christus quoad substantiam decretus, in illo signo, antequam intelligerentur nostræ voluntates in voluntatem Adami transfusæ fuisse, aut Adamum peccâsse. Primò, meruit gratiæ auxilia simplicitè Angelis, pro quibus, nec mortuus est, nec Redemptor venit; initiativè verò tantum, per actus independentes à carne passibili, vel impassibili, nimirum per actus charitatis, oblationem suorum meritorum, primis parentibus in statu Innocentiæ, B. Virgini, Crucifixoribus (nam hi, ita cum gratijs sufficientibus antecesserunt Passionem Christi, quam inferebant, ut per eam, tanquam absolutè consummatam, ad hoc, ut non inferrent, gratiam per Christum, habere non possent) Interim tamen istis omnibus completivè, & consummativè destinavit, ut darentur illa auxilia per merita sua in carne passibili vel impassibili consummata: Videl quippè Christus scientiâ conditionatâ, quod si Adam poneretur in illis circumstantijs, & voluntates posteriorum in hujus voluntatem transfundenterentur, quòd Adam peccaret; hinc ante Adæ peccatum obtulit sua merita efficaciter, sive in carne passibili mortem (à qua oblatione, formaliter, executioni mandata, dicimus redempti) sive alia opera in carne impassibili: quæ sub disiunctione erant absolutè, & infallibiliter futura, & consequenter Deo intimè præsentia; nam ad causam meritoriam moraliter efficientem, satis est, quòd merita certò & infallibiliter sint in cognitione Remuneratoris, ut moveant; Quidni ergo moverint Deum? Certè mercator merces suas vendet, si infallibiliter, & absolutè videat futuram solutionem, quamvis sub disiunctione, sive in auro Hispanico, sive Arabico: quoniam verò merita Christi erant infiniti valoris, merebantur acceptari, & Christus quoad substantiam absolutè existens, & operans, applicuit sua merita pro gratia data Patribus; quam Deus quidem prius dedit, sed quia Christus, pro ea obtainenda, sua merita erat applicaturus; Nam & nos possumus nunc petere, ut aliquid factum fuerit de præterito, quod præteritum tamen nunc non fuisset factum, nisi nunc futura esset oratio, & meritorum applicatio.

X V I I I.

Secundò, ex gratijs, per Christum quoad substantiam decre-tum, datis, B. Virgo, quæ in primo instanti suæ conceptionis expeditum habuit usum fationis, meruit de congruo esse Mater Dei, quo merito de congruo posito, Christus illi meruit de digno Maternitatem; quam de potentia absoluta, sibi etiam mereri potuisset ipsa B. Virgo, quia non substantiam Incarnationis, sed

circum-

circumstantiam meruisset, ut ex se potius, jām decretus, nascetur, quām ex alia Matre. Tertiò, Christus suam Matrem jām eleētam, adhuc ante Adæ peccatum, eripuit à peccato originali, & debito proximo illud contrahendi, per quod dicitur redempta; (nam si quis ab imminenti captivitate liberetur, dicitur etiam redimi, juxta effatum Regij Prophetæ dicentis: *Qui redemisti David servum tuum de gladio maligno, scilicet Goliath, vel Saulis, à quibus tamen non fuerat cæsus*) quatenus voluntas B. Virginis, quæ semper fuit plenissima gratiâ, & verè beata, & omnibus modis irreprehensa, non est transfusa in voluntatem Adami, saltem quoad demeritum; de qua verificatur illud Esther. 15. *Noli metuere, non morieris, non enim pro te, sed pro omnibus hac lex constituta es.* Et ideo, ut inquit Damascenus, *Ad hunc Paradysum, serpens aditum non habuit;* quia nec decuit tantæ Matris dignitatem, nec Dei filij, secundūm carnem ex carne Matris, geniti, sanctitatem. Quartò, Christus primam collationem unionis, neq; de congruo, neq; de condigno mereri potuit de potentia absoluta; Nam Christus, quoad substantiam existens, includebat unionem; ergo ipsa unio, quæ significabat opus, non poterat cadere sub meritum sui operis, per prius à se dignificati, sicuti neq; prima gratia, potest cadere sub meritum operis à se eliciti. Quintò, Christus de condigno meruit prīmis parentibus, & omnibus hominibus, de facto seriem prædestinationis, aliaque dona supernaturalia, per Passionem suam; *Vnâ enim oblatione consummavit aeternum sanctificatos;* ipsi verò Patres, uti & humanitas Christi, de congruo mereri potuissent Incarnationis substantiam, & executionem; non tamen, posito hoc rerum ordine, meruerunt. Secùs cense de circumstantijs Incarnationis, nam existentiam quoad modum Patres, ac Beata Virgo defacto meruerunt.

Psal. 143.

S. Iacobus
in sua Li-
turgia ap-
probata à
6. Synodo
Generali.
Oratione
22. de Af-
fump.

Ad Hebr.
10.

Christus defacto venit decreto executionis in carne passibili, ad omnia peccata, omnium hominum, tām originale, quām actualia extingueda, nam Deus posuit in eo iniquitates omnium nostrum. *Cujus sanguis emundat nos ab omni peccato.* Non venisset tamen eo modo, & vi præsentis decreti adæquatè sumpti, si sola actualia, sine originali; aut hoc, sine illis fuisset; Imò si non fuissent isti homines, ad quos venit defacto redimendos: Nam decretum regulabatur à scientia, distinctissimè omnia, cognoscente, & consequenter, si ex parte objecti, aliqua fuisset variatio, non fuisset eadem, quæ nunc est, voluntas; Quare etiam Christus, sua merita, pro ijs tantum obtulit, qui futuri erant, ut possent resistere peccato, aut lapsi resurgere. Interim Redemptionis factæ potius motivum erat originale, quām actualia, quia in illo tota natura humana lapsa fuit, estq; radix aliorum peccatorum; Vedit autem Deus originale peccatum in Adamo physicè, & moraliter in omnibus posteris, posito decreto absoluto, creandi Adamum caput secundarium in ijs circumstantijs, in quibus, jam viderat illum scientiâ mediâ peccaturum, &

Isaiæ 53.
1. Ioan. 1.

in signo priori, ante decretum executionis de Christo in carne passi
bili.

X X.

Dvas in Christo naturas veras, distinctas, & omnino impermixtas post unionem hypostaticam permansisse, fide contra Nestorium & Euticheten tenemus; Est porro illa unio substantialis, ac etiam, tum in genere doni, tum unionis maxima, quia & naturam creatam physicè cum Deo, & terminos, maximè inter se distantes, unit. Licet verò tota SS. Trinitas, ad hanc unionem effectivè concurrit (opera quippe ad extra sunt indivisa) nihilominus illa solum Verbum immediate, & formaliter, secundum perfectionem respectivam, ut terminum, via, non verò Patrem, aut Spiritum sanctum, respicit, *situs namq; Filius suscepit humanitatem in singularitate Personæ; non in unitate Divina naturæ, in id, quod est proprium Filii, non verò quod est commune Trinitati: exercet ergo Verbum, in naturam humanam, proprium munus subsistentiæ creatæ.*

Toletanū
6. & 11.

Cyrillus
Alex. epist.
8. ad Ne-
storium.
Conciliū
Ephes. I.
cap. 2.
Clem. 6. in
Extravag.
ungen. de
penit. &
remiss.

Ephes. I.
cap. 13.
Calcedon.
actione I.

Ioan. I.

X X I.

Asumptibilis erat à Verbo, quæcunq; alia natura substantialis, defacto autem assumpta immediatè est natura humana, & quæ, vel essentialiter illam constituunt, vel etiam integrant substantialiter; ut sanguinem, & reliquos humores, ungues quoq;, & pilos, quia omnia hæc pertinent ad integratatem, & constitutionem hominis. Vnde dicitur à Patribus, & Concilijs, Christus *in carne & sanguine nobis communicasse*, & unicam guttam sanguinis effusi potuisse sufficere ad redimendum genus humanum propter unionem ad Verbum. Quare etiam manserunt eidem in triduo unita. Non tamen per communicationem Idiomatum benè dici posset Deus, aut Verbum effusum, ratione unionis ad sanguinem, sicuti benè dicitur, Deus est caro, aut Deus descendit ad inferos, ratione animæ; jacuit in sepulchro, ratione corporis, quia cùm hæc denominationes homini simpliciter convenient, Deo etiam, per communicationem Idiomatum, tribui possunt; effundi autem de homine non potest dici: Nec semper partiales naturæ, ex modo loquendi hominum, sortiuntur prædicata Dei per communicationem Idiomatum; sic non dicitur, anima est Deus, aut Verbum est anima. Nihil tamen prius tempore in humanitate assumptum est, sed tota simul, ut Concilia docent, alioquin Verbum non assumpsisset carnem animatam, neq; B. Virgo Deum concepisset; executione tamen, sunt prius partes inter se unitæ, quæcumq; assumptæ, sed ordine intentionis, prius assumptæ, quæcumq; unitæ, nam ideo sunt unitæ, ut assumerentur; nec tamen prius assumti poterat humanitas, quæcumq; inter se essent unitæ partes.

X X I I.

Non solà sanctitate Increatæ, sed præterea gratiâ habituali creatæ, sanctificabatur Christus, qui erat plenus gratiâ & veritate, sed non tantum veritate Increatæ, ergo neq; gratiâ; hæc tamen gratia creata, neque necessaria fuit Christo, ut sanctitas,

neque

neque etiam ut regula, seu mensura habituum supernaturalium, & gloriæ, quæ longè eminentius competebat Christo, ratione unionis hypostaticæ; Fuit ea finita simpliciter, sed ea mensura, quæ capiti universali, ac Filio Dei naturali esset proportionata, omnesq; effectus gratiæ daret. Infusa est primo instanti conceptionis, tota simul, ratione unionis hypostaticæ, quo instanti pariter beatus fuit, cum quo tamen in Christo stabat dolor & tristitia, nam verè languores nostros ipse tulit, qui de se dixit, *tristis est anima mea, usq; ad mortem.* Cùm enim Christus, non tantum esset comprehensor, sed etiam viator, motivum visionis beatæ, non excludebat motivum tristitiae, quæ erant diversa; illius erat Deus in se visus, hujus vel naturæ assumptionæ nocumentum, vel ruina hominum, vel offensa Dei, propter quæ vivacissimè proposita, ex summo in Deum amore, & Imperio voluntatis, *capit contristari, pavere, tñdere, & mestus esse.*

*Isaïæ § 3.
Matth. 26.*

*Matth. 26.
Marci 14.*

XXIII.

Christus homo, non fuit filius adoptivus, sed filius Dei naturalis. Est veritas de fide, contra Felicem, & Elipandum definita; Christus enim non est persona extranea, & alienus ab eo, à quo adoptaretur, extraneitas autem, sicuti per adoptionem, solo affectu, & accidentaliter manet conjuncta, ita dicit negationem filiationis naturalis. Sed an ad fidem spectet ex Adriano, & Concilio Francofordensi, Christum etiam in quantum hominem esse filium Dei naturalem, controvertunt Doctores, cùm Concilium solum specificativè videatur loqui, neque humanitas sit ratio filiationis, sicuti est ratio patiendi, & moriendi, dicaturq; ab Adriano naturalis filius, quia Deus, non quia caro; Veritas tamen nobis certa est, Christum etiam in quantum hominem esse filium Dei naturalem, & quidem non totius SS. Trinitatis, sed filius Patris; duas quippè filiationes tantum agnoscunt Patres, alteram ad Patrem, fundatam in generatione æterna Patris, alteram ad Matrem, fundatam in generatione temporali. Augustinus certè illud Matthæi, *Hic est Filius meus dilectus, non à tota Trinitate, sed à solo Patre, de Christo ut homine, dictum testatur, ibi enim, inquit, cogimur Personam Patris accipere, neg, enim IESUS etiam Spiritus sancti filius, aut suus filius credi, aut intelligi potest;* dicitur autem filius, in quantum homo, à generatione æterna passiva, quæ est filiatio, & hypostasis, per quam, natura humana in Christo subsistit, & per quam, filius in Divinis, à Patre naturam Divinam accipit, & procedit vivens à vidente similis in natura; quia ergo humanitas subsistit Personalitate Verbi, quæ est filiatio, & acceptio naturæ Divinæ, ratione filiationis & acceptio naturæ Divinæ unitæ humanitati, Christus, in quantum homo, est filius Dei naturalis, siquidem fit similis in natura, in fieri per filiationem, & in facto esse filius Dei naturalis.

*à Concil.
Francofor.*

*z. de Trin.
cap. 10.
cap. 17.*

XXIV.

3. generale
Anathematismo 8.

EA de causa etiam, eodem cultu latræ absoluto Christus ut homo adorandus est, quo Verbum, non quidem ut objec-
tum motivum, sed ut terminus adorationis, nam *Christus IESVS*, inquit Concilium Alexandrinum, *filius unigenitus, qui una adoratione propria cum carne adoratur*, & anathemati subiicit Ephesinum eos, *qui Christum non una adoratione, quatenus Verbum caro factum est, honorant*. Porro quamvis exteriori adoratione, quæ indivisibiliter exhibetur toti supposito; æqualiter adoretur humanitas, & Verbum, tamen adoratio, seu affectus adorandi interior, non quidem respectu rei volitæ, cùm cultus utriusque æqualiter tribuatur, sed in modo volendi cultum, diversimodè terminatur ad Verbum, & humanitatem: ad Verbum, ut ad excellentiam necessariam, & secum identificatam, ad humanitatem, propter Personalitatem Verbi, ut rationem motivam, quæ non necessariò, sed contingentè competit humanitati; est tamen absoluta adoratio, quia adoratur humanitas propter excellentiam, quæ est in illo supposito; & non quæ sit extra illud, ut contingit, quando Crux, aut imagines Sanctorum cultu latræ, aut duliæ respectivo adorantur, propter excellentiam, vel Increatam Verbi, aut creatam Sanctorum, qui tamen propter excellentiam creatam, & eximiam sanctitatem, cultu duliæ absolu-
to, ut & B. Virgo hyperduliae, adorari possunt. Christus, sicuti in quantum homo non est filius adoptivus, ita neque servus, utrumq; enim Adrianus Papa, & Patres Concilij Francofurtiensis, pari ratio-
ne negant, illum enim negant dici in rigore servum, quem *universalis Ecclesia Deum, ac Dominum suum in dextera Patris profitetur sedentem*, hoc est, in æuali gloriæ & honoris throno, adeòque Christus, *Deum non Dominum, sed Patrem appellavit*.

XXV.

SIc ut in Christo duplex fuit natura, ita duplex intellectus, & voluntas; præter scientiam Increatam ergo, quâ quidem nullo modo intelligebat humana natura, triplex alia in Christo scientia creata fuit, Beata, Infusa, & Naturalis acquisita. Per visionem beatam ab instanti conceptionis collatam, vedit Divinam es-
sentiā, omnia existentia, & futura, tām absoluta, quām conditio-
nata, secreta cordium, atque adeò visio beata, vedit seipsum, Deo effectivo concursu determinante ipsam ad sui visionem, nec tamen propterea evasit natura sua indestruibilis; visio enim Beatorum, licet sit vera essentialiter, & habeat seipsum repræsentare; eo modo tamen essentialiter se repræsentat indestruibilem, quo modo est indestruibilis, nimirū ex suppositione, & decreto Dei; quid enim, si Deus alicui Beato revelet suam visionem fore natura sua defectibilem; & solum ex decreto Dei indefectibilem, numquid si per impossibilem?

impossibile visio seipsum postea habeat pro objecto , aliud videret, quād quod Deus revelavit, scilicet, se esse natura sua defectibilem, & indefectibilem ex decreto ; aut numquid magis fiet incorruptibilis, quod seipsum videat , qualis ex natura sua est , quād si videatur per visionem alterius Sancti ? Aliter tamen dicendum esset , si foret illa visio complementum decreti Divini , quo statuisset illam , nunquam destruere , ad quod decretum adstruendum defacto nulla ratio svadet.

XXVI.

Porrò vidit Christus, *in quo sunt omnes thesauri sapientie, & scientiae Dei*, per visionem beatam omnes in Verbo creaturas possibles , nisi aliundē repugnet ex parte objecti aliquam videri , ratione alicujus decreti Divini ; si enim Deus decerneret , se nolle manifestare ullum actum intellectū ulli Beato , illudque suum decretum revelaret , & homo crederet , ille actus fidei , non posset à Christo cognosci ? interim illa visio omnium possibilium , nec infinita fuit , nec omnipotentiæ comprehensiva , quia cognitio non induit naturam objecti entitativè , alioquin cognitio substantiæ esset substantia , cognitio albedinis , albedo in essendo : neque omnipotentiam cognosceret secundū totam suam cognoscibilitatem , eo modo , *Iquo Deus* ; quod necessarium esset , ut comprehendere , per cognitionem scilicet , substantialiter , & per essentiam infinitam . Vedit verò Christus in Verbo creaturas futuras causaliter solū , possibiles formaliter vi visionis , ratione connexionis essentialis , quam dieit Deus ad creaturas possibles , ad quas per se pri-mò ordinatur , talem enim ordinem , & connexionem essentialē , in Deo concedere , nullam dicit repugnantiam , aut in Deo indigenitiam , quia non oritur hæc connexio à creaturis , sed ab eminentissima perfectione , & fecunditate ipsius Dei : quæ enim potest esse potentia , aut fecunditas , sive ad intra in Deo , sive ad extra , sine termino possibili ? quantumvis verò implicaret Deus , implicantiibus creaturis possibilibus , hæc tamen implicantia Dei , solū ex consequenti , & ut ab effectu arguitur ex creaturarum implicantia , non à priori , & ut à causa : per prius enim deberet implicare perfectio Dei , quād creaturæ , nām idē istæ implicant à posteriori , quia illa implicat à priori , & non contra . Omnia , quæ vidit Christus , per scientiam Beatam , vidit etiam per scientiam per se infusam . Per scientiam acquisitam , & per propriam experientiam obtentam , præter objecta sensuum , etiam substancialias , sed abstractivè , cognoscet .

XXVII.

Scientiam visionis , & unionem hypostaticam sequebatur im-peccabilitas Christi , talis quippè decebat , ut nobis esset Pontifex sanctus , innocens , impollutus , segregatus à peccatoribus , & excelsor cœlis factus ; Proveniebat hæc impeccabilitas ex modo perfectissi-

Ad Coloss.
2.

Ad Hebr.

7.

mo, quo sanctificabatur humanitas Christi; quare non tantum actuale, aut habituale peccatum humanitati Christi repugnabat, sed etiam potentia proxima ad peccandum, tum ratione visionis beatæ, tum ratione unionis hypostaticæ; deberet quippe ad hoc, ut visio beata per peccatum deperderetur, proponi malitia peccati in actu primo, & voluntas se posse determinare ad peccatum, eo modo, quo contingit, quando gratia deperditur; verum implicat stante visione beatâ, quæ proponit solum bonum amplectendum, & malum fugiendum, dari propositionem indifferentem in actu primo de peccato committendo, vel non committendo, & fieri determinationem à voluntate, quæ à visione beata, conformiter ad voluntatem Divinam, omnino ad unam partem determinatur? ergo. Nec satisfacis, si dicas præscindi in actu primo, nec intelligi, sitne visio, vel non visio in priori naturæ, antequam voluntas se determinet, nam si prius fuit visio, nec in priori naturæ est peccatum, per quod sit deperdita, non magis præscindet, quam gratia, quæ per peccatum deperditur; differunt verò, quod hæc, non tollat indifferentiam voluntatis in actu primo, ut tollit visio beata. Vno etiam hypostatica, ratione modi perfectissimi sanctificandi humanitatem, ita reddit hanc impeccabilem, ut neque de potentia absoluta, etiam in sensu diviso, posset deperdi; unio enim ita essentialiter sanctificat naturam humanam, ut exigat essentialiter, primò, Deum non dare concursum naturæ in ordine ad malum, secundò, ut tollat potentia vim proximam se determinandi ad malum; quod si concedas ratione perfectissimæ sanctificationis implicare actum secundum, quo se humanitas determinet ad malum, necesse est, ut concedas pariter actum primum proximum, seu potentiam proximam, in humanitate, quoad determinationem ad malum, implicare, cum potentia proxima sit per ordinem ad actum secundum. Nec refert potentiam se determinandi secundum se, malam non esse; satis enim est, quod ipse actus sit malus, ut potentia ad illum implicitet. Habitus vitiosi tamen, cum infinita sanctitate, non pugnassent.

XXXIII.

CVm impeccabilitate stabat perfectissima libertas ad meritum requisita; sed ut hæc duo simul concilient, aliqui negant Christum rigorosum habuisse præceptum moriendi, obligans sub peccato; sed mandatum per modum directionis, & regulæ proponentis mortem, quod sustinere conantur ex varijs Scripturæ locis, illo, *Oblatus est, quia ipse voluit*; & illo, *Nemo tollit animam meam à me, sed ego pono eam à me ipso*. Quibus favent Patres, S. Anselmus, Non ergo, inquit, coëgit Deus Christum mori, in quo nullum fuit peccatum, sed ipse suâ sponte sustinuit mortem, non per obedientiam deferendi vitam. Theophilactus super illa verba: *Sicuti & ego Pater mei præceptra servavi*. Ioannes 15. inquit: *Hoc attemperans se audientium infirmati dicit, non enim qui omnium est legislator, mandatis est obnoxius*. Sed

hæc, & similia magis libertatem in Christo ostendunt, quām defuisse præcepti obligationem. Duplici potissimum viâ libertatem, quoad substantiam, cum præcepto moriendi, in Christo salvabis. Prīmō, si dicas potuisse Christum à Deo petere dispensationem in præcepto moriendi. An non hoc probat illud: *Nemo tollit animam meam, sed ego pano eam à me ipso?* Et illud: *An putas, quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones Angelorum?* Vbi clarè ostendit se posse impedire mortem, non nisi per petitionem dispensationis in præcepto: Quæ verò potest esse major libertas, quām neque hoc instanti necessariò mori, neque habere necessitatem moriendi pro tempore subsequenti; Hanc verò libertatem habuit Christus; nam eo instanti, quo mortuus est, non necessariò moriebatur, quia præceptum non obligabat pro illo instanti ad mortem, aut ut præceptum acceptaretur; sed neque necessariò mori debuit tempore sequenti, quia poterat petere præcepti dispensationem, & abrogationem, & ita impedire, ne moreretur.

Ioan. 10.
Matth. 26.

XXIX.

Secundò, benè salvabis libertatem in Christo, si dicas, licet non potuerit non mori, fuisse tamen liberum ad subeundam hanc vel illam mortem, hoc vel illo tempore, hoc vel illo motivo, actu; si enim non obstante necessitate moriendi ex lege naturæ, Martyres per anticipationem temporis, liberè quoad substantiam moriuntur, cur non Christus (cui alioquin, ratione unionis hypostaticæ immortalitas debebatur, uti beatitudo) non obstante necessitate moriendi ex præcepto, per anticipationem temporis quoad substantiam liberè mortuus sit? Ex hoc tamen non benè inferes, etiam Patres dici posse meruisse Incarnationem quoad substantiam, quia meruerunt, quoad temporis anticipationem; Nam in Divina prædestinatione dicimur solum illud quoad substantiam mereri, quod prius ut fieret, non fuit decretum, sed per nostrum meritum, decernitur, ut fiat absolute, non tantùm hoc vel illo tempore, hoc vel illo loco: At verò dicimur mereri liberè per substantiam mortis, dum illam anticipamus more humano, licet aliundè sit necessitas moriendi, tum quia mors non potest nobis esse libera quoad substantiam, nisi per anticipationem temporis, sic verò prædestinatio; tum quia ita affectu efficaci eligitur mors à Martyribus, & à Christo electa est, ut, licet nulla esset necessitas moriendi ex lege naturæ, aut præcepti, adhuc eligeretur mors ad protestandam fidem, aut obedientiam; qui affectus esse non poterat in Sanctis Patribus respectu substantiæ Incarnationis, saltem per ordinem ad meritum de condigno; nec esset in eo, qui damnatus propter sceleram ad mortem, unâ die prius, quām ex sententia, liberè moretur.

XXX.

EX his etiam facile deduces Christum suisse liberrimum, sine
Iean. c. 3.
ulla imperfectione morali, ad eligendum actum minus per-
fectum ex objecto, intensione, motivo, & alijs circumstantijs,
præ perfectiore; quia Christus semper operabatur ex beneplacito,
& consilio Dei, juxta illud: *Ego qua placita sunt ei, facio semper.* Deus
autem, qui ad optimum eligendum non necessitatur, potest consulere actum minus perfectum ex objecto, præ perfectiori ex objecto;
& quia omnes actus Christi sunt æqualis, & infiniti valoris, æquali-
tè simpliciter Deo placebant: Nec unio hypostatica ad aliud obli-
gabat; neque enim Christus tenebatur lege perfectionis & sancti-
tatis, nisi ad se constituendum perfectum, & sanctum omni genere
sanctitatis, & ad opera Deo gratissima, & juxta ejus beneplacitum
præstanda. Nec refert, quod Sempronius, qui obligatur ex debi-
to ad dandum aureum Cajo, si duos habeat ejusdem omnino valo-
ris, & unum potius det, quam alterum, Cajus, Sempronio, gratias
non beat, nec in hoc sit laudabilis Sempronius: Nam Christus
esto obligaretur simpliciter ad operandum benè, omniaque opera
ejusdem & infiniti valoris essent, merebatur tamen laudabilitatem,
quia quocunque actu posito, poterat ex motivo, alijsque principijs
physicis minus perfectum producere, siquidem etiam obje-
ctum, & intensio refundunt in actum bonitatem, & lau-
dabilitatem; Nos vero sicuti debemus omnem
nostram Christo sanctificationem ac salu-
tem; *Ita gaudemus, & exultemus,*
& demus gloriam ei in
secula seculo.

Apocalips.
19.

F I N I S.

Univ. Bibl.
München